

Q.H. 351,24.



---

DE  
ANIMALIBVS  
DOCTORIBVS MORVM EMEN-  
DATIONIS  
COMMENTATIO

---

QVA AD  
SACRA SCHOLASTICA  
DIE SVPLICATIONVM TERTIO  
H. L. Q. C  
PIE CONCELEBRANDA  
MODESTE INVITAT

M. DANIEL PEVCERVVS  
LVSATVS  
ATHENAEI RECTOR

---

---

NVMBVRGI  
TYPIS BOSSOEGELIANIS

---

clo lccc xxxiiii

ANIMAM LIAS  
DECORATA MONUMEN  
FESTA  
CONSTITUTIO





I.

**A**nimalibus rationem quamdam, eamque particularem, rerum sub sensus cadentium, superiori quidem tempore hoc maiori iure demonstrare potuimus, quo accuratius sententia indubitatis et sanae rationis principiis, et diuinae scripturae oraculis, quin etiam ipsi rei conuenit. In hac enim sententia PYTHAGORAS fuit, quem νέοντας et θυμόνιον brutis concessisse auctor est PLVTARCHVS de placitis philosoph. lib. I. c. 20. testantur DIOG. LAERTIVS de uitis, dogm. et apophthegm. philos. lib. viii. segm. 30. atque SVIDAS in uoce νέοντας T. II. p. 635. Hanc PLATO, hanc ARISTOTELES et plerique illius sectatorum secuti sunt; hanc, qui curatius philosophantur, nostra aetate non negant. Sed missis iis, quae alio loco ex instituto disputantur, breuibus ex sacra scriptura demonstratum ibimus, morum emendationem animalia nos docere; ita tamen, ut nonnullis de causis methodo superiori minus utamur.

\* Quod enim Ps. xxxii. 9. adfirmatur, equos pariter atque mulos nihil intelligere, si contradictiones in sacra scriptura admittere nolimus, et rem ex ingenio linguae explicamus, accipiendo est de intelligentia humanae simili, quae sit potissimum ope iudicii, atque ratiocinationum. Et enim hebraicum illud וְכִרְתֵּבְנָה citra controversum significat prudentem esse, cum indicio obseruare, id quod ex serie adducendorum locorum dilucide intelligitur. Pertinent huc in primis Dent. xxxii. 7. 29. Prou. xiii. 15. xvii. 24. xxii. 1. Ps. xxviii. 5. Dan. viii. 5. ix. 2.

II.

Sed non sum nescius, quosdam prima forte commen-  
tationis deceptos fronte superiore tempore inuentos esse,  
qui, quum auribus, aut oculis nostra senferunt, nescio  
quid monstri, uel theologici, uel philosophici nosmet a-  
luisse

luisie suspicati sunt. Dabimus igitur, pro uiribus, operam, ut mentem nostram, quam fieri potest clarissime, ob oculos ponamus. Doctores igitur adpellamus animalia non profecto, quod aiunt, personales; sed reales: nam licet *subjective*, siue, ut clarius dicamus, labiis atque ore per signa externa haudquam doceant, docent tamen omnino *objective*, si scilicet quis eorum ponderare studet agendi modum et rationes, ita, ut, qua ratione caeli gloriam IEHOVÆ narrare, ea ratione *animalia* homines docere recte dicantur. Doctores autem morum emendationis adpellare in praesentia placuit, non *poenitentiae* mente theologorum ductum bibliorum recte sequentium conformatae, quam ne profanis quidem idolorum cultoribus, licet sint homines, concedere possumus. Multo minus doctores illa esse uolumus fidei, quam spiritus omnipotens uerbi uirtute operatur, quamque tantum modo apud collustratos euangelii luce inuenias.

## III.

Ne quis tamen me quidquam praeter sacram scripturam adfirmasse autemet, illum licebit ad ipsum IOBV M ablegare dicentem cap. XII. 7. 8. enim uero interroga quae*suo iumenta* et *DOCEBIT* illorum unum *quodque te*: aut uolucrem caeli: et indicabit *tibi*. Aut confabulare cum terra et *docebit te*, etiam narrabunt *tibi* pisces maris. Si spiritui sancto contradicere religioni tibi ducas, modum inuenias oportet, quo *quo* *הַשְׁמָיִם* *רֹגֵי הַיּוֹם* *bruta* omnia ad unum animalia *instruere*, *indicare* atque *enumerare* falsis illis amicis IOBI poterant, nec semper felicitatem et diuinitas esse certum diuinæ benevolentiae atque benignitatis signum, nec calamitatis quae-dam genera diuini fauoris esse notas. Consideratione igitur opus est, meditatio requiritur, causarumque et effectuum

fectuum sedula perscrutatio, si quidem animalia doctores  
morum emendationis esse posunt aut debent.

## III.

In mente igitur si uenit dicti illius Iesiae, uatis omnium maximi, cap. l. 3. doctores sistuntur animalia. Aut enim dictio ui caret omni, quod dicere christiane religioni est aduersum; aut, si robur quoddam inest ac uis, docere exemplo clementissime adoptatos, benignissime educatos, excellenter exaltatos iudeos debent animalium, quae uulgo creduntur, stupidissima, *bos* et *asinus*. Laude digna habet SAM. BOCHARTVS, nobiliss. gallus in *bieroziic*. P. I. lib. II. c. 4I. p. 409: "boues et asini, et si nihil fere iis est stupidius; tam men possesorem suum agnoscunt, et praesepe domini sui, a quo aluntur non in suum, sed in illius bonum: nec filiorum loco habentur, sed iumentorum: nec euehuntur ad dignitatum fastigia; sed grauantur magnis ac quotidannis laboribus. ,,"

## V.

Docent autem *pietatem*, quam per foeditissimam idolatriam iudei impia mente neglexerant. Docent diuini honoris *cultum*, quem elatisimo iudei animo corruperant, aut penitus obliti erant. Docent *grati* animi uirtutem, cuius perdiderant peruersi homines significationem. Perquam igitur adposite ad sententiam nostram celeberrimus quondam in academia frisorum theologus et historicus CAMPEG. VITRINGA, splendidissimo in Iesiam commentario p. 30. "SPIRITVS S. DE VM ipsum, *inquit*, in orationis sua exordio inducit, ueluti in theatro inter caelum et terram medio comparentem, iudeosque, ut partem aduersam, in ius uocantem, et iiscum, coram teste, tota rerum natura, pathetice expostulantem, de ingrato in se,

animo et rebellione,, Quotiescumque igitur quisquam pessimae notae israelitarum bouem quemdam aut asinum adspectu sentiebat, debebat, ex mente SPIRITVS s., peruersissimos mores emendare, quum tacita animalium exempla eos conuincerent de malitia ac uitiorum turpitudine.

## VI.

Sed video *serpentes et columbas* ab indulgentiss. hominum sotere piis de meliori nota commendatas, ut doceant homines non minus *prudentiam*, quam *sinceritatem*. Ita enim apud Matthaeum, legatum suum, euangelii diuulgandi causa electum, cap. x. 16. ait: "estote prudentes sicut serpentes, et sinceri instar columbarum..," Recordor, me pii cuiusdam interpretis obseruationes legisse dicentis: in omnibus rebus creatis inueniunt credentes, quod ipsos doceat. Atque ita quidem reuera est. Inter hostes uersabantur doctores noui. Pernecessaria atque maxime utilis erat sancta illa sanctis propria prudentia, ut ueritas propagaretur, salus hominum proueheretur, gloria DEI amplificaretur; contra ea conuicia eneruarentur, astutis hominum machinationibus obuiam iretur, atque illusiones deuitarentur. Nullam hic habet sapientia improbe callidorum hominum cum prudentia christiana commercium, quam diuinus PAVLVS I. Cor. III. 18. et Rom. VIII. 6. reiicit, atque condemnat: mores enim hi emendati aliud quidpiam postulant.

## VII.

Quid igitur docent apostolos serpentes ac columbae? scilicet id, quod memini REITZIVM in libro de prudentia ecclesiastica obseruare, cap. III. §. XII. ut in rebus ad salutem coetus purioris pertinentibus omnes uirtutes, affectus,

fectus, pietatem, lenititudinem, gratificationem, odium  
iramque in scelera, uestes etiam uitam ac mores, paucis,  
omnia illa, quae ex amore in D<sup>E</sup>V<sup>M</sup> atque alios homines aut  
agimus, aut omittimus, ita componamus, ut diuinum ne ad-  
ficiatur ignominia nomen, aliis pietatis impedimentum ob-  
iiciatur, ipsi ne reddamur detersores, aut prorsus corrumpa-  
mur. Si serpentes ac columbas in consilium uellemus ad-  
uocare, quam omnia agerentur meliore ratione, quam fe-  
liciter conseruaretur felicitas hominum, quam multa pe-  
ricula atque detrimenta nescirentur.

At enim uero longiorem intelligo hanc de animalibus  
doctoribus disputationem postulare expositionem, quam  
ut hisce perexiguis unius commentationis regionibus cir-  
cumscribi posfit. Alii ergo loco, alii tempori explicatio-  
nem reseruabimus.

Oculis autem cernit singulis diebus animalia uarii ge-  
neris cupidissimus quisque literarum iuuenis, quae qui-  
dem eundem, si caudex et stipes non est, mouere posunt,  
in primis suis actionibus, ut uitam non forte rationi, sed  
sacris potius coetus oraculis conuenienter agar. Quae  
dum probe ponderare didicerint adolescentes scholastici,  
nostrique domestici: uoluimus, ut cogitarent non de  
morum solum externa emendatione; tuerum etiam de  
integra uere creditis atque probi hominis ratione. A-  
get igitur in singulari isthoc die festo

L IO.

*I. IO. MICHAEL LAVTERBACH, buttstädiensis thuringus, de praestantia et natura uires hominis sancto spiritu ducti nullatenus superante poenitentiae delictorum, et quidem, quum iam pridem cooperit graeca aestimare, quae ab multis eruditis, eruditorum nomen dedecorantibus, uix possunt legi, uix intelligi, oratione graeca.*

*II. GOTTFRIED MICHAEL PFVNDDEL, ienenſis, quem DEVS opt. max. non infelici ornauit ingenio, dicet de rariori pietate scholastica, oratione latina non incomta.*

Materia quo est utilior, eo maiorem nobis adfert spem, fore, ut, qui de omnibus in uniuersum hominibus bene speratis, Maecenates summi, Patroni optimi, sautores honoratissimi, atque in primis de adolescentibus scholasticis optima quaeque ominamini eademque illis adprecamini, nostris etiam misis religiosa mente a DEO immortalis et poenitentiam, et pietatem ueri expetatis nominis.

Fient sacra nostra *CRAS* finitis ante meridiem sacris in templo matutinis.

Quare a *VOBIS* peto maiorem in modum, uelitis invitationi nostrae locum dare, atque actui, in honorem solius DEI et instruacionem atque emendationem aliorum instituto frequentes adesse.

Faxit DEVS immortalis, ut numen diuinum eiusque mentem litterarum monumentis consignatam sequamur potius, quam bruta exemplis hominem docentia.


P. P. III. ANTE ID. NOVEMBR.

clo 15cc xxxiiii.

II f  
954

B.I.G.

Farbkarte #13



DE  
ALIBVS  
MORVM EMEN-  
TIONIS  
ENTATIO

VA AD  
HOLASTICA  
TIONVM TERTIO

Q. C

CELEBRANDA

E INVITAT

PEVCERVS

SATVS

EI RECTOR

BVRGI  
OEGETIANIS

C XXXIII